

15119

G

EXERCITATIONVM

Dialecticarum VII.

DE

TOTO ET PARTIBUS.

*Quae*

*DEO Rectore & Directore*

PRAESIDE

M. THOMASAGITTARIO

Græc. Ling. Profess. publ.

RESPONDENTE

JOHANNEM MÜLLERUM

Nermersdorfense.

Instituatur & habeatur

*Ad diem 15. Julii Horis & loco consuetis.*

Anno

1606.


EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

Johannis Veidneri.



13

Philos. B.  
07, 12



# V I R I S

*Reverenda pietate, pia eruditione, doctrina præclara*

Dn. M. DAVIDI RÖSERO PASTORI  
in Rhorbach & Nermes Dorff fidelissimo:

Dn. ABRAHAMO MONACHO, VERBI  
Divini apud Butteltstadiensis Præconi fin-  
cerissimo.

Dn. JOHANNI WUNNIO APVD EOS.  
dem Diacono vigilantissimo.

Dn. WOLFGANGO AMENDÆ, IBIDEM  
Ludimoderatori solertissimo, Consobrino ac  
Præceptori suo obser-  
vando.

*Hanc διάλεξις λογικήν*

*Grata mentis τεκμήριον  
Studiorum suorum προσοπαί δέμα,  
in sui commendationem, &  
debita observantia ἐπίδειγμα.*

Submissè dedicando

Mittit, offert, consecrat

*Johan: Müllerus Respondens.*

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



Aus der


Schloßbibliothek zu Wels

1885

Faint, illegible text on a yellowed paper fragment, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

[Faint, illegible text on a small white label on the left edge of the page]





M. THOMÆ SAGITTARII

GRÆC. LING. PROF. PVBL.

EXERCITATIONVM DIALECTICARVM VII.

De

TOTO ET PAR-  
TIBUS.

RESPONDENTE

JOHANNÈ MÛLLERO

Nermersdorfense.

Θέσις I.



Rta simplicia argumenta præce-  
denti excusimus *ἀπεράσθ* lam ergò  
& realia hæc præsentì excutienda.

2. Sunt ergò hæc, quæ res potiùs  
& vel in primis attendunt. Id quod ex  
collatione argumentorum nominali-  
um per quam oppidò cognosci potest.

3. Suntque totum & pars. De quibus hæc adorna-  
da jam erit *ἐν ἡγεσι καὶ ἀπλωσι.*

4. Totum est quod habet partes. Ad partes enim  
habet respectum. *P. Ram. lib. 1. Dial. c. 25. & ibid. Dd. Scal.  
Exerc. 5. Sect. 3. & Exerc. 104. Sect. 17.* Est enim totum una  
quædam res suo symbolo expressa, quæ tamen plures sub  
se habet, quæ & suis vocibus exponi, & suis formis distin-  
gui possunt. *Buscher. lib. 1. Harmon. c. 25.*

N

5. Pars

5. Pars ergò est, quæ sub amplitudine totius comprehensa, cum aliis totum secat & dividit. Vnde pars definit esse pars, cum non amplius totum respicit. Quia relatio, quæ essentialis est, perit & extincta est. *Goel. lib. 1. Instit. Log. pag. 112. & part. 2. probl. Log. probl. 5.*

6. Estque totum duplex: Integrum & Genus: Sicut & pars ipsa duplex est: Membrum & species. *P. Ram. lib. 1. Dial. c. 25. Goel. lib. 1. Instit. Log. pag. 112.*

7. Integrum est totum, cui partes sunt essentialiter, hoc est, cujus essentia & natura à partibus integrantibus perficitur.

8. Integro respondet membrum. Est ergò membrum pars integri. *P. Ram. d. l. Goel. d. l.*

9. Integrum ergò est symbolum effecti: Membra verò causarum integri essentiam constituentium. Singula nempe materiam, ex qua integrum constat, continent. Composita verò & junctim sumpta formam comprehendunt.

10. Ergò simul sumptæ partes re ipsa à toto non differunt. *Goel. lib. 1. Instit. Log. pag. 112. Vide Colleg. Conimb. com. in 1. Phys. Arist. c. 2. quest. 1. art. 2. Javell. 7. Metaph. quest. 20.* Sed singulæ partes omninò differunt. Vnde quæ conveniunt toti non semper conveniunt singulis partibus, cum eæ habeant suas proprietates ac officia. *Goelen. lib. 11. Instit. Log. pag. 121.*

11. Ergò integrum totum compositum materia est & forma conjunctæ. Ad quod omnes partes simul aliquid conferunt, verbi causa: Neque Inventio neque Dispositio materia est aut forma Dialecticæ, sed unaquæque formam habet suam & materiam. Sed tota Dialecticæ materia sunt Inventio & Dispositio, quæ conjunctim postmodum formam complectuntur. Vnde de eorum integrum quod est Dialectica. *Vide Goelen. lib. 1. Instit. Log. pag. 117.*

12. Ergò

12. Ergò integri nomen & definitio cuiuslibet parti non competit. Nec enim brachium est homo. *Flac. lib. 2. log. General. cap. 7.*

13. Posse verò materiam & formam rei partes dici nullum est dubium, licet id nonnulli negare hodiè audeant. *Vide Zabarell. lib. de Nat. cœli c. 1. Hilden. comm. in Isagog. predicam. pag. 65. Fonssecam lib. 1. Metaph. c. 2. qu. 3. sect. 5. Crell. lib. 2. Phys. c. 1.*

14. Genus est totum partibus essentiali. *P. Ram. l. 3. Schol. Dial. c. 5. fusissimè Gocl. lib. 1. Instit. Log. pag. 122.*

15. Genus ergò suam essentialiam transfundit in species, easque ita constituit; Species verò ita sub genere continentur, ut totam ejus participant essentialiam. Nihil enim est in genere, quod non sit in qualibet ejus specie confuse. *Scal. lib. 5. de caus. lat. ling. c. 10. Gocl. part. 2. probl. Log. probl. 21. Unde, Simon Simonius lib. 1. Ant. Schegk pag. 235. Genus totum quoddam est species pars, Et Zabarell. lib. 2. de proposit. Necessar. c. 5. lib. de Demonstrat. speciebus c. 15. Omne genus est essentiali speciei. At species est generi accidentalis, quod quomodo intelligendum. Vide Goclen. lib. 1. Instit. Dial. d. 1.*

16. Genus ergò communis est forma omnium specierum. *Averroes 2. Phys. com. 28. 2. Metaphys. c. 13. Zabarell. lib. 2. de rerum Mat. c. 18. latè Gocl. lib. 1. Instit. Log. pag. 125. P. Ram. lib. 1. Dial. c. 27. & ibid. Dd.*

17. Præter hanc quælibet tamen species suam habet propriam formam à qua specificè constituitur. Verbi causa: Animal est genus hominis. Homo ergò est species. Jam quicquid competit animali, id omninò & competit homini. Genus enim est essentiali speciebus, hoc est, suam essentialiam iisdem communicat, ubi omninò forma illa generalis animalis homini non est deneganda. Sed jam homo est species, quæ per specificam formam specificè constituitur, ut homo sit non bestia. **Quæ de forma in Phycis.**

Ratione harum formarum genus demum dividitur. Omne enim genus dividitur per oppositas differentias, & ab his diversæ species constituuntur. *Zabarell. lib. 1. post. c. 5.*

18. Quandoque tamen genera partes specierum dicuntur. *Scal. Exerc. 307. Sect. 21. Gocl. lib. 1. Instit. pagin. 130.* Sed suo modo utrumque verum. Genus ut totum quidam consideratur, quod ambitu suo suas species continet, ac proinde de specie, ut parte enunciatur. Genus ut pars essentialis speciei consideratur. Quia ejus naturam constituit, & λόγος ὁμοίας ingreditur. Vel sic: Species est pars subjecta generi ratione divisionis: Genus est pars speciei ratione compositionis & constitutionis. Quia non existit nisi in suis speciebus. *Scalig. lib. 5. de caus. lat. ling. c. 100. Zabar. lib. 1, post. cont. 41.*

19. Generi, ut patet ex dictis, correspondet species. Species ergo est pars generis. *P. Ram. lib. 1. Dial. c. 27. & ibid. Dd. Gocl. lib. 1. Instit. log. pag. 126.*

20. Et quidem est pars generis ita, ut essentiam à genere accipiat. Ut enim integrum est effectum partium, partes verò causæ integrum essentialiter constituentes: Sic species est effectum generis, Genus causa speciei.

21. Posito ergo genere & omnes ponendæ sunt species, sed non una posita genus statim totum inferendum. Omne enim genus est latius sua specie, ac proinde non convertitur cum illa. *Gocl. part. 2. probl. Log. probl. 15.*

22. Ergo qui scit aliquot species propria scientia & actu, si putet universum & totum rei genus sibi notum esse, fallitur, qui putat, cum universalium scientiam habeat, ideòq; scientiam sibi propriam & actu adesse. Atqui longè aliud est libros lectitasse & in iis generales & universales regulas didicisse, aliud in singularibus exemplis omni genere meditationis exercuisse. *P. Ram. lib. 12. Schol. Dial. c. 17. fol. 752.*

23. Genus univocum strictè hinc definitur, non analogum. Est enim genus univocum, quod idem dispertit æquè

æquè omnibus. Analogum, quod non æquè, sed ordine quodam. *Scal. lib. 4. de caus. lat. ling. 6, 91. Vide & Gocl. lib. 1. Inst. log. pag. 129.*

24. Estque genus duplex: Summum & subalternum: ut & species: Specialissima & subalterna. *Dn. Philip. lib. 1. Dial. pag. 14. P. Ram. lib. 2. Schol. Dial. c. 3. & seqq. lib. 1. Dial. c. 27. Flac. lib. 2. Log. general. c. 8. Gocl. in Epit. Organ. Arist. pag. 18. Crell. llib. 1. Log. comm. pag. 92.*

25. Summum genus est, cujus nullum amplius est genus. *Flac. lib. 2. Log. Gen. c. 8. aliàs vocatur ἡμῶν ἡμικριστάτορ, ac proinde perfectè definiri non potest. Zabarell. lib. 1. post. c. 13. cont. 104.*

26. Subalternum ὑπὸ ἀλλοῦ ἡμῶν ut & subalterna species, est quod species hujus, illius autem genus, seu ut loquitur *Dn. Philip. lib. 1. Dial. pag. 14.* est species superiorum, & genus inferiorum.

27. Quæ enim inter summum genus & imam speciem interjacent, respectu superiorum species, respectu inferiorum genera habentur, ideoque species subalternæ & genera subalterna dicuntur, ut animal respectu hominis genus, respectu corporis species intelligitur. *Vide Gocl. Isagog. in Organ. Arist. pag. 10. Flac. lib. 2. Log. General. c. 8.*

28. Species infima seu specialissima est, quæ est individua in species. Seu postquam descendendo non est alia species. *Μεθ' ὃ ἔκ' ἄρ' εἶναι ἀλλ' ὑποβεβηκός εἶδ'.* *Gocl. d. l. pag. 19. Individuum aliàs.*

29. Estque hoc vel simplex vel compositum. *Goclen. d. l. pag. 21.*

30. Simplex est proprio nomine quod enunciatur.

31. Compositum est δακτικὸν vel περιφραστικὸν.

32. Δακτικὸν est ostensum pronomine demonstrante. Verbi causa: Hic homo, hoc animal. Περιφραστικὸν est quod circumloquimur & describimus, verbi causa. Philippi filius pro Alexandro.

N 3

33. Aliàs

33. Aliàs vocatur individuum, quod est res una, quæ vel proprio nomine est explicata, vel particula demonstrativa ostensa, vel certa aliqua paraphrasi determinata, ut explicat Dn. Philip. lib. 1. Dial. pag. 12. Vide de genere & specie Dn. Philip. lib. 1. Dial. pag. 13. & lib. 4. ejusdem pag. 264. & seqq. P. Ram. lib. 2. Schol. Dialect. c. 3. & seqq. & passim. Flac. lib. 2. Log. gen. c. 7. & lib. 2. Dial. c. 7. Tolet. Comm. in lib. Porphyrii c. 3. pag. 38. & seqq. Goclen. lib. 1. Instit. Log. pagin. 130. & Hagog. Organ. Arist. pag. 17. & seqq. & c.

ἄπορρηκτὸν discussio.

Non probamus hominum illud genus, quod non inventa in natura explicat, sed ipsum tanquam Minervam sine Junone, hoc est, sine ullo exemplo paritè cerebro suo inutilem subtilitatem. Scalig. Exerc. 305. Quæ si descripta quandoq; esse dixeris ex Agyrtarum gerris velex Heliogabali, Brassianivè culina, nihil falso dixeris. Scalig. Exerc. 303. Sect. 6. Heliogabali culinam nos vitamus, Agyrtarum gerras plus quàm anguem detestamur. Nemo enim ex omni scientum aut opificum turba, qui agit quicquam sine fine aliquo. Scalig. Exerc. 341. At quem tandem finem in ejusmodi nugis & gerris, Brassicani vel Heliogabali invenimus? Quam utilitatem expectabimus? Finem ergò certum in hisce δὲ τὰ σέσι quem nobis proposuimus, ut consequamur, sic queramus.

I. Num doctrina de toto & partibus rectè seorsim à doctrina distributionis proponatur.

Hæc, quam jam proposuimus, de integro & membro, de genere & specie doctrina in Topico distributionis inseri solet & proponi, ideò quia horum usus illic maximè est conspicuus & aàmodum frequens. At inquam ego, malè inseritur & proponitur. Ratio est in promptu; I. Cujus essentia

essentia & existentia est separata, ejus quoque debet esse separata consideratio. Atqui totius & partis essentia & existentia separata est à distributionis essentia. Totum enim in natura existit, potest definiri & considerari, etiamsi nulli distribuatur. II Quin sic: Si totum & partes usum habent absque distributione, utique sine illa considerari possunt & debent, in sese, absque respectu illo distribuendi At habent. Id quod ex definitionibus colligere est. In hisce adhibetur genus, definitur verò species. Vbi tamen nemo facile dixerit distributionem ullam fieri. Vide Gocl. lib. 1. Instit. Log. pag. 115. Fons. lib. 3. Instit. Dial. c. 26. Dn. Philip. lib. 4. Dial. pag. 275. Flac. lib. 2. Log. Gener. c. 7. qui totum & partes seorsim considerant. Dissentiunt plerique Ramæi, imprimis Bisterfeld. lib. 1. Dial. c. 23. pag. 59. qui totum & partem extra distributionis doctrinam considerari non posse affirmat. Et tantum de hac questione, queramus ulterius.

## II. An partes sint priores toto, vel an totum prius partibus.

Distinguemus. Ambigua enim Sophistica conferunt. Arist. 3. Rhet. c. 2. Ignotum enim est, qua in significatione id, quod dictum est, intelligatur. 1. de cælo c. 11. Si verò explicatum fuerit, quot modis & quo sensu dicatur quilibet, hoc metuendum non est. Arist. 1. Top. c. 14. Natura prius vel imprimis duplex. I. Ordine generationis. Arist. 2. post. c. 8. II. Ordine Intentionis & Scopi. Arist. 1. de part. anim. c. 2. Iam 1. Integrum est natura prius ratione intentionis & scopi. Quia totum est in quod, & ejus gratia partes apparantur. Scaliger. Exerc. 307. Sect. 21. Pars est prior ratione generationis. Sunt enim membra cause totius integri. Scaliger. libro 1. de causa latine lingue. c. 3. Exerc. 359. Sect. 12. II. Genus per Naturam omnino prius est Specie.  
Essen.

Essentiam enim communicat suis speciebus, utpotè quod  
causæ symbolum est. At causa natura prior est effectu. Zab.  
lib. 1. prior. Anal. cont. 10. Scalig. Exerc. 77. Sect. 5. Exerc.  
364. Sect. 2. τὸ αὐτὸ πρὸς τὸ γένος οὐ αὐτὸ πρὸς τὸν ἀνθρώπου. Aristot. 2. Post.  
c. 16. Et tantum de hac questione, queramus ulterius.

### III. An individua & singularia sint ultimæ species, & an homo possit esse genus indivi- duorum;

Individua quin sint species specialissima ac ultimæ non  
dubitamus. Jam ergò genus habeant suum necessum est.  
Jam verò Plato verbi causa Socrates &c. sunt individua.  
Genus ergò & quidem propinquum habebunt. Illud non nisi  
Homo. Probo. I. Genus & species sunt relata. Genus dicitur  
tantum respectu specierum, & species respectu generis. At  
individuum nihil est aliud quam species specialissima, quip-  
pè quæ individua in alias. E. relatum ejus non species dice-  
tur, sed genus. II. Quod ita alicui est subjectum, ut ejus  
nomen, essentiam, naturam, definitionem participet, est  
species. At Plato, Socrates, &c. ita subjiciuntur homini,  
ut hominis nomen, naturam, essentiam, definitionem usur-  
pent. E. hi sunt species hominis. E. genus illorum erit homo.  
III. Species non predicatur sed subjicitur. At homo præ-  
dicatur de Platone, Socrate &c. Hinc ergò est quod ipse  
Arist. 2. Phys. singulare & genus opponit. Jam verò genus  
relatè opponitur tantum speciei. E. singulare, ut Plato est spe-  
cies. Et 2. Metaph. c. 1. & 2. ἔχεται καὶ τελευταῖα ἄνθρωπου  
ultima genera vocat, quæ de individuis predicantur. At  
genus predicatur de specie. Individua ergò sunt species E. &  
suum habent genus. Vide Gocl. in Categ. Arist. pag. 63. Et  
tantum etiam de hac questione, queramus ulterius.

### IV. Genus,

#### IV. Genus an & quomodo sit speciebus suis essentielle.

Genus suis speciebus esse essenziale ex dictis constat, hocq; ipsum probabunt subsequencia. Sed quomodo eisdem tandē sit essentielle quæritur. Nos sic distinguemus: ESSENTIALE accipitur VEL PRO EO, quod rei dat essentiam, VEL PRO EO, Quod Essentiam necessario subsequitur. Quam distinctionem suppeditat nobis Zabarella libr. 1. de Proposit. Necess. c. 5. SI PRO EO, quod essentiam necessario subsequitur: iam genus speciebus eo sensu non est essentielle. I. Prius non est à posteriore. At genus suis speciebus est prius. Vnde & genus Vicem cause, effectorum verò species referre docet Ram. lib. 1. Dial. cap. 27. Hinc talis emergat nobis ratio: II. Causa natura est prior suis effectis: Zabara. 1. prior Anal. cont. 10. τὸ αἰτίον πρότερον τοῦ ἀποτελούμενου, Arist. 2. Post. c. 16. At genus est causa: Species sunt effecta. Ex dictis. E. illud hisce est prius. SI PRO EO, QVOD REI dat Essentiam, utique essenziale est speciebus. Ratio. Quicquid essentiam rei confert, id eidem (hoc sensu, quo dictum) est essenziale. Atqui genus suam confert speciebus essentiam usq; adeò ut omnem speciem totam generis naturam continere ajat Scal. lib. 5. de caus. lat. ting. c. 116. Vnde & sic Ramus. libr. 3. Schol. Dial. c. 5. Species, inquit, est ita subjecta generi, ut ejus non modo nomen, sed definitionem & naturam usurpet. ESSENTIA verò que rei alicui confertur VEL EST PROPRIA VEL COMMVNIS. SI DE PROPRIA queritur: Illa non est à genere. Est n. à forma. Forma enim dat ipsum esse proprium & distinctum. Vnde & omnis distinctio & determinatio à forma provenire dicitur Zabara, lib. de

lib. de constit. Indiv. c. 4. **SI DE GENERALI** utiq; à  
genere communicatur illa speciebus. Est enim genus mate-  
ria loco. Scal. Com. in lib. Hipp. de plant. fol. 25. Et quod  
inquit Zabarella lib. 2. de Prop. Neceß. c. 0. Genus ad speci-  
em refertur tanquã materia ad id, quod ex materia constat.  
At materia confusa est, quæ per formam specificam ad certam  
speciem quasi restringitur & contrahitur. Hoc disertè vole-  
bat Ram. d. l. c. 27. ubi sic ait: Animal genus hominis & be-  
stia dicimus. Animal enim est totum cujus essentia, nempe  
corporea, animata sentiens, ad bestiam & hominem com-  
muniter attinet. Sic dicimus hominem & bestiam species  
animalis, quia partes sunt animali subjectæ, quæ anima-  
lis essentiam communem habent. Hactenus Ramus.  
Et tantum de hac questione, queramus ulterius.

V. An sit quædam forma generica quæ  
speciebus communicari possit?

Speciebus à genere communem seu genericam com-  
municari essentiam, jam diximus. At neq; hoc sua videtur  
carere difficultate, qua & nonnulli moti hanc planè è  
censu entium exclusere. Hæc ipsa ergò ut evitetur sic di-  
stinguemus. **CONSIDERAMVS** Formam hanc  
de qua agimus, **VEL RATIONE GENE-  
RIS**, vel ratione specierum subjectarum, **SI RA-  
TIONE GENERIS**. Iam utiq; forma hæc non est  
communis, sed omninò propria ipsi generi. Est enim &  
ipsum genus. At quicquid est per essentiam est. Scaliger  
Exerc. 140. Sect. 1. Et quidem per suam. Nihil enim  
est, quod est, per alterius essentiam sed per suam. Scaliger  
Exerc. 307. Sect. 14. E. non per communem. Multis  
animi necessario illa competeret. At unum est genus per se.  
SI RA-

SI RATIONE SPECIERVM: Iam communis  
est. Sit ratio: Quicquid multis competit, commune  
est. Atque essentia illa, quae à genere speciebus imper-  
tetur, communis est, & quidem speciebus. Nec  
enim unius speciei genus quoad sit datum fuit aut in-  
ventum ullum. Goclen. part. 4. problem. Log. 4. Es-  
set enim ipsa pars necessario aequalis toti. Absur-  
dum. Quin: Omne genus dividitur per oppositas  
differentias. Differentiae diversas constituunt spe-  
cies. Zabarella 1. post. c. 5. E. ad minimum cujusq;  
generis species sunt duae. A qua assertionem neq; pra-  
stantissimi etiam Philosophi haecenus abhorruerunt.  
Sic enim inquit Averroës 2. Phys. comm. 23. Genus in de-  
finitione est forma universalis. Differentia vero  
est forma particularis. Et clarius Zabarella libr. 2.  
de prima rerum materia cap. 18. Diversis modis  
ait, genus dici potest & forma & materia & con-  
stans ex forma & materia. Genus ut animal se-  
cundum se compositum est. Constat enim animal  
ex forma animalis, & materia illi formae subiecta.  
Dum ipsum consideramus esse tale per formam non per  
materiam, dicimus genus significare formam. Ani-  
mal enim non per materiam, sed per formam suam  
est animal, & ita significare dicitur formam uni-  
versalem. Verum quia animal respectu formae spe-  
cificae locum habet materia, ideo animal est in homine  
tanquam materia. Vide Goclen. 1. Institut. Dial.  
fol. 124. Et tantum de hac questione,  
quaeramus ulte-  
rius.

VI. An universale nihil sit nisi opus  
intellectus.

Diversa de hac est diversorum opinio. Alii statuunt  
universalia verbi causa. Animal, hominem, nihil esse  
præter opus mentis nostræ. Alii docent tantum esse rea-  
lia, hoc est res extra intellectum. Nos media via ince-  
dendum esse existimamus, ac proinde statuimus universale  
fieri quidem ab intellectu, & esse ens rationis, quatenus  
mens aufert accidentia circumstantia omnia. At nihilo-  
minus tamen esse in natura res universales pluribus commu-  
nicabiles. Dicamus breviter: Universalia consideratio-  
ne quidem & propter prædicationem sunt in anima: At re-  
ipsa existunt in singularibus. Cujus nostræ sententiæ hæc  
ponimus fundamenta. I. Si natura universa ante men-  
tis operam suam habet unitatem & communitatem, utique  
communitas seu universalitas erit extra mentem. At prius.  
Probo. Ante mentis operam natura universa est in mul-  
tis propter unam rationem, quam in omnibus habet. Verbi  
causa. Natura humana, quæ est in omnibus hominibus,  
est una ratione essentiali sine mentis actione. Nam unum  
est indivisum ea ratione, quæ est unum. Sed λόγος ἑστίν  
hoc est ratio essentialis nature humane, quæ est in homini-  
bus est indivisa, quæ talis. Nemo enim dubitat propter  
quam rationem & essentiam Socrates est homo, per ean-  
dem Platonem quoque esse hominem. Est enim Socrates ho-  
mo. Quia animal rationale. Eadem ratione & Plato est  
homo. Quæ communitas certè in rebus est ante mentis ope-  
rationem. At hæc communitas universale est. E. Uni-  
versale est extra intellectum etiam in rebus. Vide Goclen.  
part. 1. Metaph. c. 15. pag. 108. II. Quin sic colligamus:  
Homo

LA IV

50

Homo

Homo communiter convenit & attribuitur Aristoteli & Platoni. E. Vel secundum nomen tantum, vel secundum rem nomini subjectam. Non secundum nomen duntaxat. Homo enim præter nomen etiam naturam sem & definitionem Aristoteli & Platoni communicat. E. Etiam secundum rem nomini subjectam. Jam ulterius: Sires isti attributioni subest, hæc erit vel Accidens vel Substantia. Non accidens. Quia homo inest & attribuitur Socrati secundum essentiam, non ut subjecto accidentaliter. Nam aliud est si dicas: Socrates est homo. Et aliud si dicas: Socrates est doctus. Nam inter Socratem & hominem est nexus essentialis. At inter Socratem & eruditionem est nexus duntaxat accidentalis. E. Jam erit substantia. Jam ulterius: Si est substantia erit vel singularis & individua, vel universalis. Non est singularis. I. Quia individuum est incommunicabile. At homo est quiddam communicabile. II. Si esset res singularis, tunc si dicas Socrates est homo, perinde erit, ac si dicas, Socrates est Socrates, quod absurdum est & nugatorium. E. Universalis erit. Jam si universalis, modus quo existit & subsistit, erit inquirendus. Ille talis erit, Universalis hæc substantia aut separatim existit à singularibus. Aut in rebus singulis. Si separatim: Aut per se & in seipsa subsistit: aut in mente duntaxat. Sed non per se & in seipsa extra singularia est. Talis enim nusquam inventus est, nec inveniri potuit per naturam. Individua enim cadunt sub sensum, non universalis. Neque etiam in mente. Ratio est, Quia non substantia, sed notio substantie est in mente. Ut enim sensus interior non res ipsas singulas recipit, sed earum imagines: Sic nec intellectus rerum communes essentias continet, sed

notiones tantum per quas illæ nobis contemplantibus obver-  
santur, Vide Scaliger. Exerc. 307. Sect. 23. Jam conclu-  
damus. Ergo homo in singulis illorumq; communionere-  
vera existit, & est ens potius nature seu universale in  
multis quam rationis, quod est in intellectu tantum. Vide  
Scalig. Exerc. 307. Sect. 22. Gocl. part. 1. Metaph. c. 15.  
pag. 105. Tolet. Com. in Porphy. c. 1. quest. 3. Et tantum  
etiam de hac questione, queramus ulterius.

## VII. Individua unde esse suum habeant?

Quæ sit adequata individuationis causa vel maxi-  
mè inter Dd. controversatur. Nos rem hanc totam bre-  
viter sic decidamus: Individua sunt maximè substantia.  
Μάλλον καὶ ἤτοι ὅτι αἱ ἀρῆαι Arist. in Categ. Gocl. ibid. pag.  
87. E. hoc habebunt vel ab efficiente, vel à materia, vel  
forma specifica, vel accidentibus, vel deniq; à forma  
individuali. Non ab efficiente: Quia efficiens essen-  
tiam rei non ingreditur. Scal. Exerc. 6. Sect. 1. At quod  
extra rem est, id rem essentialiter constituere non potest.  
Non à materia. Illa n. erit vel prima vel secunda. Non  
prima. Communissima enim est hæc & indeterminata.  
At nullum indeterminatum & indifferens potest esse  
causa cujusdam differentie. Zabar lib. 2. de prima re-  
rum materia. c. 8. Non secunda. Illa enim & ipsa in  
se est ab alio determinata. E. ipsa aliud quid determina-  
re & definire, ac sic constituere non potest. Imò ab eo  
necesse est tribui singularitatem, à quo tribuitur existen-  
tia. At materia hanc tribuere non potest. Quia ipsa  
hanc ex se non habet, Zabar. lib. de individ. constit. c. 5.  
Non à forma specifica. Quia hæc ut ipsum nomen in-  
dicat, non individuum, sed speciem constituit. At indi-  
viduum à specie distinctum est. Quinimò hæc forma spe-  
cifica non dat existentiam actu, sed in ea tanquam in  
commu-

communi essentia conveniunt omnia singularia. Quia  
si sunt ejusdem speciei, eandem habere debent essentiam  
equè cum ipsis omnibus communicatam. Zabbar. d. l.  
c. 6. Neque etiam ab accidentibus. Quia nullum  
accidens substantiam constituit. Omne enim accidens  
substantia est posterius. Scalig. Exerc. 5. Sect. 1. Arist.  
4. Metaphys. cont. 7. Zabarell. lib. 2. de prim. rer.  
mat. c. 11. At nullum posterius est prioris causa. Quia  
sic actu nondum est. At nihil actu est causa, nisi ipsum  
sit actu. Fons. 5. Metaph. c. 2. quest. 10. Sect. 3.  
Iam ergo tandem deveniemus ad formam individua-  
lem, quæ facit, ut individuum sit maxime substantia.  
Vide Zabarell. d. l. ac Piccol. lib. peculiari de individuat.  
Scaliger. Exerc. 307. Sect. 17. Goclen. part. 1. Metaph.  
c. 17. & part. 2. Metaph. Diss. 12. Et tantum de hac  
questione, queramus ulterius.

VIII. Individua an tantum accidente seu nume-  
ro, vel etiam essentia propria differant?

Non satis eruditè illi, qui individuum ab alio indi-  
viduo non essentia, sed secundum accidens seu numerum  
dudaxat differre statuunt. Crassissimum enim hoc judi-  
cium, ut rectè vocat Scal. Exerc. 307. Sect. 17. Nume-  
rus enim est res quedam consequens existentiam,  
& vagans per collectionem unitatum. Non quia nu-  
merantur anime, dicemus eas numero distingui, sed  
numerari, quia sunt diverse h. est separate unitates.  
Non enim anima Cesaris constituitur ab unitate,  
sed ejus unitas est. Quia substantia quedam est.  
Sic & equi species à leonis specie distinguitur nu-  
mero. Quia hujus unitas non est unitas illius.

EXERC. VIII.

At

At quare hec ita sit, aliam causam antecedere necesse est.  
Scaliger. d. Exerc. Sic ergo nos contra colligamus. I. Omne  
quod est per essentiam est. Scalig. Exerc. 307. Sect. 17. Gocl.  
part. 3. Metaph. Disp. 1. thes. 5. Atqui individuum est. Cum  
enim sit substantia, quod inquit Scalig. d. l. necesse est, ut  
hoc sit, quod est, per id, per quod est. E. habet propriam  
essentiam. jam ulterius. Quicquid habet propriam essentiam,  
id per eandem & differt à rebus cæteris. Quicquid n. alicui  
oppositum est. per essentiam oppositum est. Scal. Exerc. 12. Sect. 4.  
Et quicquid diversum, per formam diversum, ipsa autem  
forma per seipsam. Scalig. Exerc. 346. & 6. Sect. 12. At  
habent essentiam individua. E. & per eandem different à  
cæteris. II. Si non differunt neq; Caesar, neq; Cato, neq; Socrates,  
non tot erunt distinctæ & σ̄ iου, multo minus ῥ̄σ̄ iου & σ̄ iου,  
sed unica duntaxat erit omnium horum. At absurdum hoc.  
III. Homo est genus individuorum, ut explicat P. Ram.  
lib. 3. Schol. Dial. c. 5. fol. 378. Individua ergo sunt species  
hominis. At species qualibet à propria forma constituitur.  
Iam à qua constituitur per eandem & ab aliis distinguatur  
necesse est. Forma enim constituit & distinguit. Arist. 7. Me-  
taph. cont. 49. Zabar. lib. de part. anim. c. 5. Vide Scal.  
Exerc. 307. Sect. 17. P. Ram. lib. 3. Schol. Dial.  
cap. 6. Et tantum de hac que-  
stione.



EXERC. VIII

Philos. B. 207, 1<sup>b</sup>